DISSERTATIO THEOLOGICA
DE
QVÆSTIONE
NUM
DISSIDENTES IN POLONIA
DICENDI SINT HÆRETICI?

QVAM

PRÆSIDE

VIRO CELEBERRIMO ET SUMME VENERABILI

JOANNE ERNESTO SCHUBERTO

S. TH. D. ET PROF. PUBL. ORD.

IN REGIO CONSIST. ECCLES. CONSILIARIO ET PASTORE

AD AED. ST. MARIÆ

IN ACADEMIA GRYPHICA

D. IV. SEPT. A. R. S. CIƆIƆCCLXVII.

PUBLICE DEFENDET

ASMUS FRIDERICUS ERHARDI

SCHMALSTEDA-HOLSATUS

S. S. THEOL. C.

H. L. Q. C.

GRYPHISWALDIÆ

TYPIS A. F. RÖSE

REG. ACAD. TYPOGR.

VIRO
EXCELLENTISSIMO GENEROSISSIMO
ILLUSTRISSIMO
DOMINO
GEORGIO CHRISTIANO
A WOLF
ORDINUM ALEXANDRI NEWSKI ET S. ANNÆ
EQVITI AURATO
CÆSAREÆ CELSITUDINIS PRINCIPI IN THRONO SUCCESSORI
ET MAGNO DUCI OMNIUM RUTHENORUM HÆREDI NORWAGIÆ DUCI SLESW. HOLSATIÆ STORMARIÆ ET DITMARSIÆ
COMITI OLDENBURGII ET DELMENHORSTI
ETC. ETC. ETC.
A CONSILIIS INTIMIS
CUBICULARIORUM DECURIONI
ETC. ETC. ETC.
ACADEMIÆ CHRISTIAN - ALBERTINÆ
QVÆ KILONII FLORET
CURATORI
SAPIENTISSIMO VIGILANTISSIMO INDULGENTISSIMO
STUDII LITERARUM
FAUTORI PARITER ATQVE STATORI
BENIGNISSIMO
MÆCENATI AC DOMINO SUO
PIO CULTU PROSEQVENDO.

GRATUM ANIMUM

PRO INNUMERIS IN SE COLLATIS

BENEFICIIS DECLARATURUS

SEQVE SIMUL ET STUDIA SUA

DEMISSE COMMENDATURUS

EXERCITATIONEM HANC ACADEMICAM

EA QVA PAR EST

SUBMISSIONE AC REVERENTIA

D. D. D.

IMMORTALIS NOMINIS EJUS

CULTOR DEVOTISSIMUS

ASMUS FRIDERICUS ERHARDI.

§. I.

DISSIDENTES in POLONIA, quo nomine Lutherani, Reformati, & Orientalis Eccleſiæ Sacris addicti hodie intelliguntur, jura ſua reclamant. His cum aliquamdiu carere coacti fuerint,& quicquid adhuc jurium habuerunt, recenciori lege illis ademtum ſit, injuriam ſibi factam eſſe queruntur. Summam enim æqualitatem cum Catholicis ſibi competere contendunt, non tantum ex naturalibus, ſed & ex publicis Regni legibus. Ergo non tantum tolerari, ſed & omnibus civium juribus frui volunt. Catholici autem ſatis eſſe putant, ſi tolerentur; dignitates & alia jura non pertinere ad diſſidentes; ipſam ſecuritatem & tolerantiam, quæ illis concederetur, meram eſſe gratiam, qua privari poſſent, ſi ratio ſtatus exigeret. Atque ita ſentiunt, *quod hæretici, quales omnino eſſent diſſidentes, Regni conſtitutionibus proſcripti eſſent.* Hæc res totius Europæ attentionem excitat. Diſſidentes foedere iuncti declarationem ſeu manifeſtationem ediderunt. Glorioſiſſima Ruſſorum Imperatrix, Magnus Boruſſorum Rex, aliique principes intercedunt. Comitia expectantur, omniumque oculi in illorum decreta intenti

Ratio Inſtituti.

funt. Digna profecto res, cujus justitia non tantum à Politicis sed & à Theologis discutiatur! Theologica enim quæstio est, *num Dissidentes ex capite hæreseos impugnari, & hæreticorum nomine diffamari possint?* Magnum autem momentum habet in hac lite. Cum enim nascendi conditio Dissidentes Catholicis æquales reddat, cum nullius delicti accusentur, cum de Rege & Patria optime meriti sint, & imposterum mereri cupiant, cum propter solum dissensum in Religione juribus & privilegiis priventur, cum ex hac sola causa leges contra eos urgeantur, cuncta huc redeunt, *num sint hæretici isti, de quibus leges disponunt?* Si non sint, inanis est omnis actio, quæ adversus eos instituitur. Ergo non inutilem nostram fore operam putavimus, si, quid hac de re sentiamus, paucis ostenderimus.

§. 2.

Lex de Hæreticis à Jagellone lata.

Lex, quam Catholici contra Dissidentes allegant, lata est A. C. 1424 à Rege VLADISLAO JAGELLONE. Prohibet illa *pestiferos* HÆRETICORUM *errores*, quos *in Dei contemtum & Christianæ fidei detrimentum & enervationem politiæque jacturam* iniqua perversorum corda conflaverunt. Jubet, *ut Hæretici aut hæresi infecti vel suspecti de ea, nec minus fautores & directores eorum ut offensores regiæ majestatis capiantur, & juxta exigentiam excessus sui puniantur* (a). Ad hanc solam legem Catholici hodie provocant, cum Dissidentes ut hæreticos opprimunt, & quamvis non negent, mox à primordiis Reformationis in Polonia, præsertim ab anno 1573 usque ad annum 1717 multa jura & privilegia dissidentibus concessa esse, hæc omnia tamen 1717, 1736, & 1764 sublata, & recentioribus his constitutionibus legi jagellonicæ pristinam vim restitutam esse putant (b).

§. 3.

(a) CONSTIT. REGNI POLON. *Vol. I. p. 85.*
(b) Vid. *Reflexions sur les Affaires des Dissidens en Pologne p. 107. seqq.*

§. 3.

Non pertinet ad Dissidentes.

Supponunt ergo Catholici, hæreticorum nomine, quos lex ista proscripsisset, simul comprehendi Dissidentes. Nam si non essent hæretici, quos legislator innuisset, quid hæc lex ad dissidentes pertineret? Quomodo tunc probare possent adversarii, extare antiquiores leges, quibus illi juribus & privilegiis omnibus privarentur? Nonne tunc subsistendum foret in recentioribus illis legibus ab anno 1717 latis? Nonne tunc omnia ad harum legum vim & efficaciam redirent? Ergo disquisitione opus est, num Dissidentes aliquo jure dici possint hæretici, ad quos lex ista recte applicetur? Antequam vero hoc negotium aggrediamur, monendum & paucis demonstrandum erit, legem istam contra Dissidentes nullam vim habituram esse, etiamsi tale hæreticorum genus damnasset, quale Dissidentes esse Catholici putant. Satis enim notum est, & ipsi Pontificii non negant, in comitiis 1573 tempore Interregni celebratis legem *de pace* INTER DISSIDENTES *colenda* latam esse, quam ita servari imposterum voluit tota Respublica, ut omnes status cujuscunque religionis ad eum conjunctis viribus destruendum obstringeret, qui eam aliquo modo & sub aliquo prætextu violaturus esset. *Contra talem omnes consurgemus in ejus destructionem* (c). Lex in comitiis composita est, nemine contradicente. Dissidentes, quos INTER pax coli debebat, erant Catholici, Protestantes, & Græci (d). Hi enim in Religione à se invicem dissentiebant.

(c) CONST. *Vol. II. p. 841. seq.*

(d) Hoc INTER DISSIDENTES postea mutarunt Catholici in CUM DISSIDENTIBUS, ac si per dissidentes ii soli intelligerentur, qui à Romano Catholicis dissentirent. Sed reclamant tum Instrumenta ipsius Constitutionis & formulæ juramenti ab Henrico & aliis Regibus præstiti, tum status illorum temporum. Nam Protestantes & Græci hanc pacem non impetrabant à Catholicis ut singularem gratiam: His enim illi pares erant, non inferiores; neque plus Protestantibus & Græcis metuendum erat à Catholicis,

tiebant. Pax eſt ſtatus, in quo neutra pars alteri malum inferre tentat, ſed quilibet ſuis juribus ac bonis ſecure fruitur. Bona, quæ tunc poſſidebant Proteſtantes & Græci, non tantum exercitium Religionis, ſed etiam dignitates & officia publica erant. Præcipui enim Senatores & Magiſtratus in Regno Poloniæ erant Proteſtantes, quos inter præcipue eminebat FIRLEJUS, Cracovienſis, & SBOROWSKY, Sendomirienſis Palatinus. In Ruſſia Græcorum Ritibus addicti officiis publicis fungebantur, quemadmodum & Eccleſiis harum terrarum Epiſcopi græci præerant. Ut itaque nec Catholici Proteſtantes vel Græcos, nec Proteſtantes vel Græci Catholicos ex capite Religionis à dignitatibus, officiis, & communibus civium juribus excluderent, pacem inter Diſſidentes coli voluerunt. Recte proin STANISLAUS SARNICIUS: *Confoederatio inter Catholicos & Evangelicos ſancita: h. e. lex, qua prohibetur, ne alter alterum nomine Religionis injuriis afficiat, aut in Rep. muniis ſive palam ſive occulte poſthabeat, (nam hoc poenandi verbum, quod ibi legitur, ſignificat,) ſed utrique in mutua pace vivant, & politica concordia expectantes, donec tempus id, quod juſtius erit, detegat.* (e) Ne vero lex iſta à futuris Regibus violaretur, qui aut ipſi cives à ſua religione diſſentientes premere, aut ferre ac juvare poſſent, qui ſub prætextu Religionis aliis moleſti eſſent, Reges jurare debebant, ſe hanc legem ſancte ſervaturos, &, ut ab aliis ſervaretur, curaturos eſſe. In Formula juramenti ab HENRICO Rege præſtiti hæc verba extant: *Pacemque & tranquillitatem inter Diſſidentes de Religione tuebor, manu tenebo, nec alio modo vel jurisdictione noſtra, vel officiorum noſtrorum & ſtatuum quorumvis auctoritate quempiam affici, opprimique cauſa Religionis per-*

tholicis, quam his ab illis, quibus tunc erat major nocendi poteſtas. Sed quælibet pars de ſecuritate ſibi proſpiciebat, ne pars debilior à fortiore aliquando læderetur.

(e) STANISL. SARNICIUS *in Annal. Polon. Lib. VIII. ad A. C. 1572. in Dlugoſſi Opp. Tom. II. p. 1223.*

permittam, nec ipse afficiam, nec opprimam (f). Atque hæc jurisjurandi formula in normam abiit, ad quam sequentes Reges jurare obstringebantur (g). Quodsi ergo lege jagellonica aliquid decretum fuisset, quod Dissidentium juribus & æqualitati cum Catholicis obstaret, id omne constitutione ista tot Regum juramentis confirmata sublatum esse, nemo non videt.

§. 4.

Quod vindicatur contra objectiones.

Sed legislator legem, quam tulit, rursus abrogare potest. Non ita subjectus est legibus, ut illæ æternam haberent vim, nec unquam mutari, limitari, aut tolli possent. Respublica, quæ temporum calamitate coacta aliquamdiu ferre & consentire debebat, ut dignitates & honores inter Dissidentes quoque distribuerentur, mutato rerum statu novam legem tulit, qua beneficium hoc illis ademtum est. Tractatus Varsoviensis 1717 prohibet privilegia regni sigillo confirmari, quæ Rex Dissidentibus forte concessurus esset. Post mortem Augusti II Confoederatio quidem securam bonorum possessionem & personarum æqualitatem Dissidentibus promittit, simul tamen decernit, ut in Comitiis & Judiciis voce careant. Et hæc lex 1764 repetita & confirmata est in Comitiis. En, lector, summam eorum, quæ hodie à Catholicis contra antiquiorum legum valorem urgentur (h). Nec miror, hæc sola, quamvis sint nullius momenti, Dissidentium querelis opponi. Non enim sunt graviora & solidiora, quibus hæc causa ornari posset. Leges, quæ imprimis liberis gentibus sanctæ esse debent, novas has constitutiones improbant. Variis defectibus Comitia ista laborarunt, ut in recentissimis scriptis publicis satis ostensum est. Sed de his nihil dicam. Alia sunt, quæ consideratione digna videntur.

(f) CONSTIT. REGNI POLON. *Vol. II. p. 863.*

(g) Vid. CHRIST. HARTKNOCH de *Rep. Polon. Lib. II. Cap. II. §. 4. p. 372.*

(h) *Reflexions sur les Affaires des Dissidens p. 113. seq.*

1. Non nego, legislatorem veteres leges abrogare posse, si salus publica postulet, & sine læsione tertii fieri possit. Sed nec quisquam alius, quam legislator, hac potestate uti potest. Quæritur ergo, num illi, qui recentiori ætate contra Dissidentes leges tulerunt, vere fuerint legislator? Id quidem putant Catholici, nos vero prorsus negamus. Nam legislator in Polonia est tota gens, non aliqua illius pars, sed omnes ordines. Ad hos autem sine dubio pertinebant Dissidentes. Cum enim pristina dignitas illis anno demum 1717 nova lege ademta esse dicatur, eam profecto ante hanc legem & usque ad illius compositionem possederunt. Ergo & ipsi tunc participabant potestatem legislatoriam, nisi ab ea jam exclusos dixeris, antequam lex lata erat, qua exclusi & damnati esse ab ipsis Catholicis putantur. Quæ cum ita sint, nova lex ista condi non poterat, nisi concurrentibus & consentientibus Dissidentibus. At sine illis lata est. Lata est illis invitis & reclamantibus. Ergo hæc lex non à legitimo legislatore, sed ab iis profecta est, qui potestatem legislatoriam usurparunt.

2. Lex de pace inter Dissidentes colenda considerari potest & debet ut pactum seu foedus, ab omnibus diversarum religionum ordinibus percussum. Catholici Protestantibus & Græcis promittebant, se eos non turbaturos esse in æqualitate, possessione, & usu jurium, si & ipsi hoc fecerint. Et Protestantes ac Græci Catholicis idem sub eadem conditione repromittebant. Foedus hoc initum est à statibus independentis & liberæ gentis. Semetipsos obstrinxerunt, ut, qui unam alteramve partem ex capite religionis turbaturus esset, tanquam communem hostem persequerentur omnes, cujuscunque sint Religionis. Reges quoque suos hac lege teneri voluerunt, ut constitutionis illius custodes essent, eamque nullo modo violari paterentur. Adest igitur duplex pactum, primum inter ipsos ordines, secundum inter Regem & totam gentem. At vero pacta solvi non possunt, nisi

nisi utriusque partis consensu. Itaque nec rex legem istam abrogare potest, nisi populus consentiat, nec una gentis pars, qualis sunt Catholici, aliam legem illi contrariam ferre potest, nisi altera pars, quæ sunt Protestantes & Græci, consentiat. Nemo autem, ne Catholicus quidem, affirmabit, novas illas leges contra Dissidentes ipsis consentientibus compositas esse. Ergo nec vim legum habere possunt. Catholici sibi persuadere videntur, se solos fuisse legislatorem, cum pax inter Dissidentes servanda decerneretur, Protestantes & Græcos tunc illorum fuisse subditos, & jura, quæ hac lege acquisivissent, illis concessa esse instar beneficii, cujus denegationem temporis ratio prohibuisset. Mirabilis sane opinio, quam nescio qua ratione rerum polonicarum non prorsus ignarus serio tenere possit. Sed demus, rem ita se habere, nonne & tunc pactum intercessisset, quod violari nefas foret? Annon leges naturæ superiorem æque obligant, ac inferiorem? Num ulli mortalium foedus frangere licet, quandocunque libuerit? Aut num lege ista, de qua nunc agitur, expressum est, Dissidentes pacem habituros, quamdiu placuerit Catholicis, aut his defuturæ sint vires, Dissidentes opprimendi? Nonne tunc altera pars naturali suo jure uti potuisset, hostes suos ita debilitandi, ut conscientiis suis vim inferre nunquam potuerint? Sed sufficiant hæc de præsenti argumento. Ad alia progrediamur.

3. Regnum Poloniæ propter pacta cum aliis Regibus ne in Comitiis quidem alias justam formam habentibus quicquam decernere potest, quod juribus Dissidentium contrarium foret, & hinc leges contra eos recentius latæ ipso jure nullæ sunt. Catholici in sua Declaratione ipsi fatentur, has conventiones cum exteris esse vincula, quorum jugum natio polonica excutere nec posset nec vellet. Sed putant, nihil promissum esse, quo Dissidentes ab æqualitate jurium, dignitatibus, & publicis officiis excludere impedirentur; In Tractatu

We-

Welavienſi tantum cautum eſſe, ut Catholicis in Boruſſia Brandenburgica Jura ſua ſervarentur; in pace Olivenſi de ſolis Civitatibus Boruſſiæ Polonicæ ſermonem eſſe; Et in conventione cum Imperio Ruſſico 1686 tantum de tolerantia & pace Religionis Græcorum, nihil de Dignitatibus aliisque juribus, agi (i). Qui vero Acta Publica inſpexerit, mirabitur, Catholicos non vidiſſe, quod ſe non vidiſſe teſtantur. Fateor, in Tractatu Welavienſi de Diſſidentibus in Polonia non agi ex inſtituto. Pax tamen Olivenſis de illis clare diſponit. Nam Art. II. §. 2. jura, privilegia, & conſuetudines generales & ſpeciales tam in Eccleſiaſticis quam civilibus & profanis, quibus ante bellum gaviſi fuerant, *ſecundum leges Regni* conſervantur, & ne cui bellum hoc præjudicio eſſet, cavetur. Et quoniam Diſſidentium mentio expreſſe facta non erat, additur Declaratio Legatorum Suecicorum, generalem amneſtiam ad Diſſidentes quoque in Polonia & Lithuania pertinere, tolli omnes leges contra ſic dictos hæreticos tempore belli latas, cuncta in ſtatum priſtinum reſtitui, & mentem contrahentium eſſe, ut quilibet, cujuscunque ſit conditionis & religionis, juribus, libertatibus & conſuetudinibus in eccleſiaſticis & civilibus, juxta leges Regni, eo modo, ut ante bellum in uſu fuiſſet, frueretur. Hanc declarationem JOANNES CASIMIRUS, Rex Poloniæ, acceptavit, ſeque non permiſſurum promiſit, ut quicquam contra Art. II. & ejus declarationem fieret. Idem declararunt Senatores & Nuncii Terreſtres nomine Reipublicæ, & ut Articulus ille cum declaratione publicis Regni conſtitutionibus inſeratur, ſe effectururos pollicentur (k). Hac pace non tantum Proteſtantes, ſed & Græci communi Diſſidentium nomine comprehenſi ſunt, quibus præterea per Tractatum Moſcovienſem 1686 ſecuritas præſtita eſt, ut Epiſcopatus & Monaſteria ſua retineant, in exercitio

(i) *Reflexions p. 117. ſeqq.*
(k) Ibid. p. 95.

citio Religionis nullo modo turbentur, ſed omnibus juribus & libertatibus *juxta antiquiores leges* fruantur. Si Diſſidentes ante has transactiones ad regni dignitates & officia publica adſpirare potuerunt, quod nemo negat, antiquiora illa jura tantum confirmata ſunt, &, ſi antiquiores leges non adfuiſſent, uſus & poſſeſſio in jus abiiſſet, quod aboleri non poteſt ſine pactorum violatione. Cum enim duo principes de beneficio unius alteriusve ſubditis conferendo paciſcuntur, beneficium non amplius eſt beneficium, ſed aliquid, quod ſubditis de jure competit, & quod illis auferri non poteſt, niſi altera pars à ſuo promiſſo recedere velit. Quæcunque igitur leges poſthæc in præjudicium & damnum diſſidentium conditæ ſunt, nihil habent valoris.

§. 5.

Diſſidentes ſecundum leges Regni non ſunt Hæretici.

His præmiſſis ad argumentum theologicum progredimur, ubi ante omnia monendum erit, *quo ſenſu quæratur, num Diſſidentes in Polonia dicendi ſint hæretici?* Videtur hæc res à *definitione hæreſeos* dependere. Sed ſi hanc viam ingredi vellemus, tota diſputatio inutilis foret. Conſtat enim, aliam hæreſeos notionem in ſcholis Pontificiorum, & aliam à nobis tradi. Illi hæreſin quamcunque opinionem eſſe putant, quam Pontifex Romanus aliquando damnavit. Nos vero per eam ſolum errorem fundamentalem intelligimus, & hæreticos vocamus, qui hujus generis errorem pertinaciter defendunt. Si ergo ex notionibus reſpondendum eſſet, Diſſidentes ex mente Catholicorum forent hæretici, & ex noſtra non forent. Quorſum vero tunc hæc controverſia? Aut quomodo aliquando componi poſſet? Neutra litigantium pars judicem agere poteſt. Quælibet ſua principia ſequitur. Et non adeſt communis judex, in cujus ſententia utrique acquieſcendum eſſet. Aliam igitur diſputandi methodum eligamus. Extat nimirum lex de hæreticis non tolerandis. (§. 2.) Catholici contendunt, hac

hac lege simul proscriptos & damnatos esse Dissidentes. Ergo de *Hæreticis* quæritur, qui tales essent *ex mente legislatoris.* Pontificii, qui, ut videntur, non ex decretis Pontificis Romani, sed ex legbus Regni contra Dissidentes pugnant, hanc ita interpretantur, quod hominum genus intellexerit, ad quod referri possint & debeant Dissidentes. Si ergo alia illi fuerit mens, si aliam hæreticorum ideam habuerit, ideam, puto, quæ nec ad Protestantes, nec ad Græcos applicari possit, Dissidentes dicendi non sunt Hæretici. Atqui alia ipsi omnino mens fuit. Hæreticos eo sensu proscripsit, quo tales dici non possunt Dissidentes. Id enim perspicuis solidisque rationibus demonstrari posse confidimus. *Ergo nec Dissidentes dici possunt Hæretici.* Videbit Lector, in quonam cardo rei vertatur. Et quotquot sunt cordati viri inter adversarios, in certamine contra concives, & illorum jura civilia hanc disputandi rationem non declinaturos esse spero.

§. 6.

Arg. 1. Lex Jagellonica edita ante Reformationem.

Lex jagellonica centum fere annos ante Reformationem lata est. Ergo Protestantes non sunt Hæretici ex mente Legislatoris. Primum hoc est argumentum, cujus connexionem nos quidem perspicuam & evidentem esse putamus, Catholici autem vehementer impugnant. Verum enim est, inquiunt, Legislatorem *non immediate* damnasse Protestantes, quorum futuram existentiam prævidere non poterat. Damnavit tamen *mediate.* Nam quos tunc in regno tolerari nolebat hæreticos, discipuli WICLEFI, HUSSI, & HIERONYMI PRAGENSIS erant. Lutherani vero & Reformati illorum Hæreticorum doctrinam renovarunt. Ergo & hi sunt Hæretici isti, quos Legislator expelli voluit.

§. 7.

Vindiciæ Argumenti.

Habent aliquam, non diffiteor, veri speciem, quæ objiciuntur. Legem enim jagellonicam contra Hussitas editam esse, non nego. Neque illius tantum temporis

poris Hussitæ, sed etiam omnes futuri ex mente legislatoris damnati sunt. Si ergo Lutherani & Reformati Hussi essent progenies, ex hac lege Hæretici omnino dicendi forent. Sed

1. Adversarios non ignorare oportuisset, nec LUTHERUM, nec CALVINUM ab Hussitis sua didicisse. LUTHERUS quidem pro sua ingenuitate JOANNEM HUS ut virum innocentem, probum, & veritatis confessorem laudabat. Sed neque omnia HUSSITARUM dogmata, neque schisma & tumultus approbabat. Hinc & male eum habebat ECCII criminatio, quod Bohemus, & Bohemorum Patronus esset (l). Approbabat HUSSI doctrinam, quatenus sana & pia erat. Improbabat, quatenus verbo Dei contraria videbatur. Num vero Legislator omnem doctrinam prohibuisse censendus est, quæ aliquam cum Hussitarum fide conformitatem habet? Aut num Hussi socius & sectator est, qui nonnullos articulos in eo probat? Certe si omnis consensus cum eo Hussitam efficeret, Pontificii multo magis essent Hussitæ, quam Lutherani. Plures enim Pontificiorum errores retinuerat, quam Lutherus ferre voluit & potuit.

2. Bohemi, qui tempore Lutheri vixerunt, non erant Hussitæ isti, contra quos Lex Jagellonis scripta est. Magni quidem faciebant Hussum, sed non omnia probabant, quæ ab Hussitis dicta & gesta erant. Hi enim Ecclesiam non sola voce & calamo, sed & igne ac ferro reformare volebant. Surgebant ad arma. Templis, aris, & sacerdotibus manus injiciebant. Hæc sine dubio erat præcipua causa, cur apud vicinos male audirent, & cur in Polonia quoque proscriberentur. Seditiosum enim & turbulentum hominum genus esse videbantur, cumque doctrina non satis nota esset, Pontifex populorum animos adversus eam tanquam abominabilem hære-

 sin

(l) Vid. Acta Disput. Lipf. apud B. VAL. ERN. LOESCHERUM in *den vollständigen Reformations-Acten. Tom. III. Cap. VIII. p. 356. 360.*

ſin eo facilius excitare poterat. Eodem tempore alia factio erat in Bohemia. CALIXTINI ſeu SUBUTRAQUISTÆ vocabantur. Hi calicis quidem, perinde ac HUSSITÆ ſeu TABORITÆ, reſtitutionem in ſacra cœna, puriorem verbi divini prædicationem, & uſum vernaculæ in cultu publico poſtulabant, in reliquis autem cum Pontificiis conſentiebant. Hinc & illis facilius reconciliabantur, ipſi TABORITIS bella inferebant, & miſeros hos homines rebus omnibus ita dejiciebant, ut genuini HUSSITÆ prorſus extincti viderentur. Poſt aliquot tempus, nempe circa annum 1450 ex reliquiis Taboritarum & ſanioribus Calixtinis nata eſt tertia familia, quæ abjectis violentis principiis, quibus Resp. turbata fuerat, mutata doctrinæ forma, novaque diſciplina conſtituta, nomine quoque tum ab Huſſitis & Taboritis, tum à Calixtinis diſtingui volebat, ſeque FRATRES UNITATIS & FRATRES BOHEMOS & MORAVOS vocabat (m). Hi erant Bohemi iſti, qui cum LUTHERO de unione aliquoties egerunt. Nondum exiſtebant, cum lex Jagellonis contra Hæreticos in Polonia 1424. ederetur. Itaque ne ipſi quidem Bohemi ſeu Fratres unitatis ſub ea comprehendi poſſunt. Neque id in Polonia creditum eſt, cum Bohemi patria expulſi Sec. XVI. hoc regnum adibant. Benigne enim & hoſpitaliter excipiebantur. Multis Magnatibus eorum doctrina & diſciplina placebat. Ipſe Rex SIGISMUNDUS AUGUSTUS bene de illis ſentiebat. Protectione Regis & Nobilium fruebantur. Multasque eccleſias florentiſſimas habebant, cum lex de pace inter Diſſidentes colenda 1573. conderetur (n).

3. Neque tamen horum Bohemorum doctrinam LUTHERUS unquam approbavit. Laudavit eam, quia multum

(m) Vid. meæ INST. THEOL. POLEM. *Part. III. Cap. VII. §. 8. p. 752.* ubi & auctores, qui hanc hiſtoriam deſcripſerunt, citati leguntur.

(n) Vid. CHRIST. AUG. SALIG in *Hiſt. Aug. Conf. Lib. VI. Cap. IV. §. 25. 26. p. 666. ſqq.*

tum veritatis evangelicæ continebat, & ut Fratres illius in Bohemia testes esse pergerent, hortatus est. In variis tamen capitibus semper dissensit (o). Qui in Polonia erant Bohemi, cum Reformatis quidem uniebantur. Sed illi natione & disciplina tantum Bohemi, fide autem Reformati erant. Cum enim LUTHERUS in Germania, ZWINGLIUS & postea CALVINUS in Helvetia fidem & sacra reformarent, utriusque partis doctrina ad Bohemos quoque perferebatur, quorum alii Augustanæ, alii Helveticæ Confessioni assentiebantur, ita tamen, ut veterem disciplinam & ritus majorum retinerent. Atque ex horum numero sine dubio erant Bohemi in Polonia. Nam in *Synodo Sendomiriensi*, cujus propter consensum & unionem diversarum partium magna est celebritas, TURNOVIUS nomine Fratrum Bohemorum declaravit, se recipere Confessionem Helveticam, non quod Bohemicam ideo abjicerent, sed quod hanc cum illa consentire semper credidissent (p). Ad hanc unionem Lutherani quoque movebantur, sed re diligentius ponderata à Consensu Sendomiriensi rursus recedebant (q). Etiamsi vero non recessissent, Hussitæ tamen dici non possent, quemadmodum nec Reformati, cum Bohemi, quibuscum in unam societatem coaluerunt, non essent Hussitæ, sed Helveticæ Confessioni addicti, sola Bohemorum disciplina utentes. Vanum igitur est, omnique fundamento destitutum, quod hodie objiciunt Adversarii, Dissidentes esse Hæreticos, quia doctrinam HUSSI & WICLEFI sequerentur.

 §. 8.

(o) Vid. B. JO. GOTTL. CARPZOV in *der Religions Untersuchung der Böhmisch-Mährischen Brüder, Sect. I. Cap. II. §. 8. sqq. p. 46. sqq. Cap. IV. §. 1. sqq. p. 174. sqq.*

(p) Vid. DAN. ERN. JABLONSKY in *Hist. Cons. Sendom. Sect. II. §. 36. pag. 52.*

(q) JABLONSKY *loc. cit. Sect. II. §. 70. p. 85. §. 80. p. 95.* LOESCHER in *Hist. Motuum Lib. V. Cap. III. §. 7. sqq. Part. III. pag. 69. sqq.*

§. 8.

Arg. 2. Hac lege non damnati sunt Græci.

Vix cogitari poterat, ad horum hominum sectatores regressuros esse Catholicos, ut Dissidentes ex lege de expellendis hæreticis accusare possent. Sed magis mirabar, hæreticos ab iis dici, qui imperium Pontificis Romani non agnoscerent, nec illius decretis morem gererent. Novi, recentiores scriptores ita docuisse, homines privatos, qui forte Pontificis gratiam inire voluerunt (r). Sed totam gentem, eamque nobilissimam suæque libertatis tenacissimam sponte quæsituram esse servitutem, sibimet ipsi jugum imposituram, seque damnaturam esse, si forte aliquando offensura esset Episcopum romanum, haud credidissem. Num Polonos esse putares, qui dicunt: *La loi, qui a condamné l'heresie, a donc incontestablement condamné tous ceux, qui ont secoué le joug de la dependance de Rome?* (s) Sed nihil timete, qui jugum hoc pio non minus quam forti animo secuistis. Justior & sapientior erat Legislator, quam ut cives bonos ac bene meritos ejici voluisset, quos Pontifex Romanus aliquando damnaturus esset. Parum curabat, quid ille de hæreticis sentiret. Ipse videbat propriis oculis, & quos hæreticos esse censebat, hac lege damnabat. Nemo enim ignorat, homines græcæ ecclesiæ sacris & ritibus addictos, quorum tunc magnus erat numerus in Polonia, non damnatos esse. At hi præcipue damnari debuissent, si Rex eos proscribere voluisset, quos Romanus Pontifex pro hæreticis declaraverat. Nam tota Ecclesia orientalis jam Sec. XI. ut hæretica & schismatica à Pontifice excommunicata erat (t). Et excommunicata quidem est non tam propter impiam doctrinam,

(r) Ex. gr. RAYNERIUS *de* PISIS *in Pantheologia Voc. Hæresis. Part. II. p. 375.* MART. BECANUS in *Manuali Controv. Lib. V. Cap. XIII. p. 698.*

(s) *Reflexions* pag. 110.

(t) Vid. BARONIUS in *Annal. ad A. C. 1054. num. 23. sqq. Tom. XI. p. 227. sqq.*

nam, quam ob denegatam ſubjectionem & reverentiam erga ſedem romanam (u). Inde vero novum naſcitur argumentum pro afferto noſtro. Nam *ſi Rex Eccleſiam Orientalem hac lege non damnavit, neque de hæreticis locutus eſt, quos Pontifex tales eſſe judicabat, aut aliquando judicaturus eſſet.* Itaque injuſtum eſt, Diſſidentes ex hac cauſa premere, quod VLADISLAUS JAGELLO hæreticos expelli juſſiſſet, Diſſidentes autem ex mente Pontificis hæretici eſſent: cum tamen ipſe Legislator, hæreticos damnans, cives græcæ religionis non tantum tolerari, ſed omnibus ſuis juribus & dignitatibus ſecure frui voluerit, quos Pontifex ut abominabiles hæreticos jam diu excommunicaverat.

§. 9.

Arg. 3. Authentica interpretatio legis Diſſidentes ab hæreticis diſtinguit.

Quales hæreticos Rex intellexerit, ipſe in ſua lege ſatis declaravit, hæreticos nempe, qui errores foverent *in Dei contemtum, in chriſtianæ fidei detrimentum & enervationem, & in politiæ jacturam.* Quis vero diſſidentium religionem ita diffamare auderet, ut ea Deum contemni, chriſtianam fidem everti, aut ſtatum politicum turbari crederet? Nonne omnes iſti, qui hoc nomine diſtinguuntur, Sanctiſſimam Trinitatem profitentur, & Patrem, Filium, & Spiritum S. in quem baptizati ſunt, religioſe colunt & adorant? Nonne tum fidem in Chriſtum tum ſtudium bonorum operum urgent? Nonne Sacramentis juxta inſtitutionem Chriſti recte utuntur? Nonne denique & de Magiſtratus dignitate ac juribus, & de ſubditorum officiis pie ſentiunt? Et quamquam inter ipſos Diſſidentes aliquod eſt diſſidium, quod nequaquam diſſimulamus, aut tegere & extenuare volumus, omnes tamen omnibus librum vitæ aperiunt, ut ipſi videre poſſint, illiusque lectionem, meditationem, & ſcrutinium valde commendant. Qui vero Diſſidentes perſequuntur, præter Deum verum ſanctos quoque coli & adorari jubent,

(u) Ita certe judicat PET. de MARCA in *Conc. Sacerd. & Imper. Lib. I. Cap. I. §. 4. p. 5.*

jubent, doctrinam de justificatione & pœnitentia humanis traditionibus obscurarunt, Sacramenta mutilant & dividunt, Pontificem principem ecclesiasticum & cleri dominum ac judicem in omnibus terris constituunt, & verbum Dei à Laicis legi vetant. Qui utriusque partis religionem conferre vellet, facile videbit, cujus fides & cultus in lege jagellonica descriptus sit. Sed ab odiosa hac comparatione merito abstinemus. Id tantum monere volumus, extare publicam legis interpretationem, quæ doceat, tempore JOANNIS CASIMIRI, h. e. circa medium Sec. XVII. eam de Dissidentibus non esse intellectam. Rex ille A. C. 1658 Edictum contra ANTITRINITARIOS seu SOCINIANOS edidit, ut intra triennium solum verterent, nec quisquam hujus Sectæ intra fines Regni Poloniæ & M. D. Lithuaniæ permaneret. Sociniani contendunt, duram hanc legem contra se latam esse, quod tempore belli Regi Suecorum adhæsissent. Sed ipse Rex Poloniæ declaravit, contra hoc hominum genus valere legem jagellonicam, hujusque vigore hæreticos illos expelli. *Reassumentes*, inquit, *& in suo vigore relinquentes contra illos Statutum Vladislai Jagellonis Antecessoris nostri de Hæreticis, consensu omnium ordinum constituimus: Quod, si quis ejusmodi inventus fuerit, qui sectam hanc Arianam* &c. (x). Idem vero Rex, perinde ac ejus Antecessores, juraverat, se pacem inter Dissidentes in Religione tuiturum esse. Et quamvis hi quoque eo tempore varias calamitates & injurias passi sint, per fraudes tamen & clandestinas machinationes tantum contra eos agebatur, publicis vero legibus & edictis non petebantur. Ergo Dissidentes ab Hæreticis, de quibus lex Jagellonica agit, Rex ipse distinguit. Quid enim? Aut Ariani seu Sociniani pertinebant ad Dissidentes, quibus pax promissa erat, aut Dissiden-

(x) Vid. CONSTITUTIONES *anni 1658 & 1659.* & latine etiam extat lex ista in STANISL. LUBIENIECII *Hist. Reform. Polon. Lib. III. Cap. XVIII. p. 293.* & in vita ANDREÆ WISSOWATII in App. ad CHRISTOPH. SANDII *Biblioth. Antitrin. p. 248.*

sidentes non sunt hæretici isti, qui salva hac lege exturbari potuerint. Si putes, Arianos communi Dissidentium nomine comprehensos fuisse, Rex leges Regni juramento confirmatas violavit, & Arianorum expulsio fuit injusta. Neque exceptioni locus est, Protestantes & Græcos eodem jure expelli potuisse, quam Arianos, Regem vero illis pepercisse. Quænam enim hujus regiæ gratiæ fuisset ratio? Nonne Catholici eodem furore Protestantes semper abominati & persequuti fuerunt, quam Arianos, quatenus id fieri poterat? Et quinam tunc fuissent Dissidentes illi, quos inter pacem se servaturum Rex promiserat, si Protestantes & Græci sine hujus legis transgressione ex lege Jagellonica perinde ejici potuissent, ac Ariani? Vides ergo, non creditum esse, leges de Hæreticis ad Dissidentes spectare.

§. 10.

Arg. 4. Eodem jure Dissidentes sua idea de hæresi uti possent contra adversarios.

Quemadmodum autem & Legislator & Successores ita de sensu legis judicarunt, ita nec ille hæretici significatus in hac controversia supponi potest, qui hodie in Scholis Pontificiorum traditur. Dissidentes & Catholici sunt partes litigantes. Disputatur de quæstione, num Dissidentes sint hæretici, ideoque secundum legem puniendi? Catholici id affirmant, Dissidentes negant. Utraque pars suam de Hæresi ideam sequitur. Si ergo Catholicis ex sua idea contra Dissidentes argumentari liceret, primum perinde foret, ac si pars simul esset judex. Secundo Dissidentes ex sua de hæresi opinione eodem jure contra Catholicos argumentari possent. Nam quamdiu adhuc sub judice lis est, num Dissidentes sint hæretici, non video, qua ratione Polonis Dissidentibus jus denegari possit, quod sibi sumunt Catholici. At si Dissidentium doctrinæ habeatur ratio, non ipsi, sed Pontificii erunt Hæretici. Norunt sine dubio adversarii, quam difficile visum sit antiquioribus, hæresin & hæreticum definire. Non miratur AUGUSTINUS, diversas opiniones à PHILASTRIO & EPIPHANIO

inter hæreſes relatas eſſe, cum non utrique idem viſum ſit hæreticum, & quid faciat hæreticum, regulari quadam definitione comprehendi aut difficulter admodum aut plane non poſſit (y). Si vero credidiſſet, id à ſententia Pontificis Romani dependere, ſi cum hodiernis Pontificiis ſtatuiſſet, hæreſin eſſe opinionem à Pont. Rom. damnatam, nulla res iſta laboraſſet difficultate. At probe ſciebat, non ideo aliquid eſſe hæreſin, quia ab Epiſcopis damnaretur, ſed ideo damnandum eſſe, quia eſt hæreſis. Nihilo tamen minus recte ſentire credimus, ſi dicamus, *hæreſin eſſe quemcunque errorem fundamentalem, ſeu falſam opinionem, quæ articulum fidei evertit.* Et ſi quis tale quid pertinaciter defendat, & meliora doceri nolit, eum hæreticum recte appellari haud immerito putamus. Ita de hæreſi & hæretico ſentit idem, quem laudavimus, & quem laudant quoque Pontificii, AUGUSTINUS. Nam hæreſes vocat *dogmata peſtifera* & *mortifera.* Quia vero multi ex ſimplicitate falſas ejusmodi opiniones fovere & ſequi poſſunt, ea utitur æquitate, ut eos ſolos appellari velit hæreticos, *qui periculoſa iſta dogmata commodi & maxime gloriæ & principatus cauſa, nec non præſumtionis audacia invenerunt, & rectiora docentibus contumaciter reſiſtunt* (z). His veſtigiis inſiſtebant THOMAS AQVINAS, aliique Scholaſtici (a), & niſi me omnia fallunt, recentiores Pontificii hanc definitionem non rejicient. Suum enim Papam ſine dubio ea tantum dogmata damnare putabunt, quæ animarum ſaluti nocent. Duas igitur habebunt hæreſeos definitiones, quarum altera eam errorem periculoſum & fundamentalem, altera opinionem à Pontifice damnatam dicit. Cur vero priorem

(y) AUGUSTINUS *Epiſt. CCXXII. ad Quodvultdeum Tom. II. p. 818. & in Tr. de Hæreſibus Opp. Tom. VIII. p. 4.*

(z) AUGUSTINUS *de Civ. Dei Lib. XVIII. Cap. 51. Opp. Tom. VII. p. 533. Lib. de Utilitate Credendi Cap. I. Tom. VIII. p. 45. Epiſt. XLIII. Tom. II. p. 88.* & alibi.

(a) THOMAS *in Summa Sec. Sec. Qu. XI. Art. II. p. 27.* PET. *de* TARENTASIA *Lib. IV. Sent. Diſt. XIII. Art. 3. Qu. 1.* ALEX. *ab* ALES *in Summa Part. II. Qu. 161. memb. 1.*

rem non præferunt posteriori? Illa prior probatur antiquioribus, à nobis acceptatur, & dogmata ex suo ipsorummet merito & pondere æstimat. Posterior nova & à veteribus ignorata est, supponit infallibilitatem Papæ, quam nec Ecclesia Orientalis nec Protestantes agnoscunt, & pravitatem erroris non a sua natura & relatione ad fidem, sed ab arbitrio Pontificis dependere statuit. Priorem vero istam, h. e. nostram, si sequamur, non Dissidentes sed Pontificii sunt hæretici. Satis enim ex scriptura demonstratum est, nos fundamentum fidei recte tenere, multis vero modis contra illud errari à Pontificiis. Id certe nobis majori firmitate persuademus, quam Catholicis persuasum est, Pontificem errare non posse. Quodsi ergo contigerit, ut Dissidentes fierent pars potentior, & eodem jure contra Pontificios uti vellent, quod sibi in Dissidentes competere putant Catholici, nonne tunc eos ex capite hæreseos accusare, & ex lege antiqua dignitatibus & privilegiis privare possent? Nonne morem Catholicorum imitantes dicere possent, ex sua idea Pontificios esse hæreticos, & hinc contra eos valere legem jagellonicam? Sed longe æquiores & prudentiores sunt, quam ut hoc ab illis unquam metuendum sit. Cum de tolerantia aut juribus civilibus Dissentientium in religione sermo est, norunt, non semper hæreticos esse in sensu politico, qui tales esse putantur secundum principia alicujus religionis. Utantur ergo & eadem æquitate Pontificii, ne pax & tranquillitas publica turbetur, nec conscientiis vis inferatur in detrimentum religionis.

§. 11.

Denique si Respublica cum civibus suis dissidentibus ut cum hæreticis ideo agere vellet, quod ex definitione Pontificis essent hæretici, legem extare oporteret, qua ista auctoritas Pontificis in Regno Poloniæ & M. D. Lithuaniæ stabilita foret, ut ab ejus judicio & sententia dependeret, quinam pro hæreticis habendi essent. Talis vero lex nec existit, nec salva libertate Reip. condi potest. Nam

Argum. 5. Nulla Lege in Polonia recepta est Pontificis potestas de hæreticis judicandi.

1. PRI-

1. PRIUS quod attinet, Catholici quidem, eo quod ſunt Catholici, infallibilitatem Papæ ejusque poteſtatem legislatoriam agnoviſſe videntur, ex quo colligi poſſet, legem, quæ catholicam religionem probat, ſimul Papæ auctoritatem probare. Sed vehementer falluntur, qui fidem poteſtatis papalis, quæ tota eſt recentius figmentum, characterem religionis catholicæ eſſe putant. Papatus & religio Catholicorum multum à ſe invicem differunt. Poteſt aliquis totam illam œconomiam ſalutis tenere, quæ in Eccleſia Romana traditur, licet nullum agnoſcat Papam. Profeſſio quidem fidei tridentinæ clerum romanum juramento obſtringit, ut Pontificem pro Capite, Domino, & Legislatore totius Eccleſiæ habeat. Sed ſimpliciſſimos eſſe oporteret iſtos homines, ſi crederent, articulum hunc ad religionem ipſam pertinere. Nam primo ipſi Pontifices multarum eccleſiarum doctrinam olim approbarunt, & eandem cum illis fidem ſe habere teſtati ſunt, licet illæ papæ ſuperioritatem & auctoritatem non agnoverint. Secundo celeberrimi Pontifices olim contra primatum in Eccleſia extruendum, ut contra ingens ſcelus diſputarunt. Tertio res ipſa docet, ea omnia, quæ de juſtificatione & pœnitentia in Eccleſia Romana docentur, credi poſſe, licet papatus aut ignoretur, aut negetur (b). Ex quo ſequitur, catholicam religionem ab aliqua gente approbatam eſſe poſſe, licet auctoritas Papæ, judicandi & damnandi hæreticos, non ſit recepta. Quantum poteſtatis Pontifex ſibi arroget, tum leges ferendi & judicandi, tum clerum eximendi à jurisdictione ſeculari, & diſponendi de bonis & beneficiis eccleſiaſticis, tum concilia convocandi eorumque canones confirmandi, &c. nemo eſt, qui ignoret. Et tamen hanc poteſtatem in Gallia, cujus Rex titulo Chriſtianiſſimi ab ipſo Papa honoratur, exercere non poteſt. Leges Pontificis nihil habent valoris, niſi à

(b) Hæc omnia prolixe demonſtravi in mea *Comment. de Jurisd. Pontif. Rom. Cap. II. §. 18. ſqq. p. 39. ſqq.* ad quam brevitatis cauſa hic mihi provocandum eſt.

à Rege approbatæ ſint. Clerus judicatur à magiſtratu politico. Dignitates eccleſiaſticæ conferuntur à Rege. Et ſi quis hæreſeos ſuſpectus ſit, non à Pontifice, ſed ab Epiſcopis Galliæ judicatur, à quorum tamen ſententia ad ſupremum Senatum Pariſienſem provocari poteſt (c). Hinc Epiſcopi & Paſtores JANSENISTAS à communione ſacrorum aliorumque jurium uſu excludere nequeunt, licet per CONSTITUTIONEM UNIGENITUS pro hæreticis declarati ſint. Poloni ergo non minus, ac Galli, fidem Eccleſiæ Catholicæ tenere poſſent, quamvis nec omnia decreta & judicata Pontificis reciperent, nec omnes pro hæreticis haberent, quos ille damnavit.

2. Quemadmodum autem nulla lex exiſtit, quæ gentem Polonicam tam duræ ſervituti ſubjeciſſet, ut eam omnia approbare & recipere oporteret, quæ Pontifici placeant, ita, quod POSTERIUS erat, nec ejusmodi lex, ſalva libertate Reipubl. unquam condi poteſt. Nam qui hanc Pontificis poteſtatem in ſe agnoſcunt, *primum* naturalem omnibusque connatam libertatem abjiciunt. Hæc eſt *libertas conſcientiæ*, qua intelligimus facultatem, de Deo ſentiendi, quod verum rectumque videtur, & eum ita colendi, uti ipſe ab hominibus coli velle creditur. Si naturale jus datur, vitam & bona conſervandi, intellectu & ratione utendi, liberos educandi, ſuumque ſtatum perfectiorem reddendi, multo magis omnibus jus erit naturale, credendi agendique, quibus quisque ad æternam ſalutem opus eſſe putat, nihilque contra propriæ conſcientiæ dictamen faciendi. At ſi fides noſtra à Pontificis judicio dependeret, ſi libertatibus, juribus, dignitatibus, bonis omnibus privandi forent, quos ille hæreticos eſſe ſtatuit, illa libertatis conſcientia ſine dubio

(c) Inter innumeros fere auctores, qui de libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ ſcripſerunt, & quorum longam ſeriem JAC. *le* LONG *Biblioth. Hiſtorique de la France Liv. II. Chap.* 7 *pag.* 117. *ſqq.* recenſet, de hoc argumento inprimis conferri meretur JAC. BENIGNUS BOSSUET in *Defenſione Declarationis Cleri Gallicani 1682. editæ.*

bio nobis adimeretur. Quid hodierni Zelotæ in Polonia senſuri eſſent, ſi ipſi, ut fieri poteſt, de nonnullis fidei capitibus aliquando aliter ſentirent, quam Pontifex? Num putant, ſe tunc rationem ſuam illius judicio ſubjecturos, & Pontificis ſententiam plus valituram eſſe, quam omnia argumenta? Aut ſi videant, id impoſſibile eſſe, num conſenſuri eſſent in jacturam jurium civilium? At quod tibi non vis fieri, nec aliis facias. Ergo non admittenda eſt lex, quæ liberam gentem præcipua libertate privaret. *Secundo* ubi ea Pontificis auctoritas locum habet, Summi Imperantes nec poteſtate legislatoria, nec aliis juribus independenter uti, imo ne ſua quidem officia exercere poſſent. Studia, commercia, artificia, & innumera alia, quibus dignitas, fortitudo, & divitiæ alicujus gentis continentur, in aliquo regno mirum in modum promoveri poſſent, ſi cuivis operi homines apti admoverentur, & qui de Rep. bene meriti ſunt, privilegiis, dignitatibus & opibus augerentur. Hoc medio diligentia, ſtudium, & æmulatio civium excitatur, exteri ad juvandam ornandamque Remp. invitantur, ſalus publica ita promovetur, ut non facile aliquo defectu laboret. Gens vero, quæ prius Pontificem audiendum eſſe putat, num cives ſint hæretici, ideoque tolerandi aut ejiciendi, de his rebus ſtatuere non poteſt, quicquid ipſa Reip. ſalutare eſſe judicat. Equidem in quibusdam regnis & civitatibus lege cautum eſt, ne cives aut exteri à dominante religione diſſentientes publicis officiis fungerentur. Sed hanc legem ipſa poteſtas legislatoria libere tulit, & forte non tuliſſet, niſi minus malum majori præferendum fuiſſet. Præterea Principis officium eſt, bonos cives, qui neminem læſerunt, nec in Remp. deliquerunt, fovere, illis ſecuritatem præſtare, & adverſus omnem vim defendere. Si vero Pontificis auctoritas & poteſtas recepta eſſet, hoc beneficio frui non poſſent cives, qui ex ipſius mente ſunt hæretici. Opprimendi potius & exterminandi forent, licet nec alios læſerint, nec quodcunque aliud delictum commiſerint.

Solo

Solo enim diſſenſu ab alterius religione, etiamſi ſit error aut hæreſis, nemo læditur. Ergo gentem liberam non decet legem condere, qua ſe ipſam obligaret, de fatis civium ſuorum ex mente & ſententia Pontificis de illorum fide diſponere.

§. 12.

Hæc ſufficere videntur ad decidendam quæſtionem, num Diſſidentes in Polonia dicendi ſint hæretici? Utinsm ingenia miteſcerent, & à mutuis illis odiis abſtinerent, quibus ſe invicem propter ſolum diſſenſum in Religione perſequuntur! Salus publica ſuprema lex eſto! Et gens, quæ libertatem ſuam amat, eam præcipue tueatur, quæ ingenuis hominibus longe carior eſſe debet ipſa vita! Epilogus.

DOCTISSIMO DOMINO RESPONDENTI
VIRO PRÆNOBILISSIMO ATQVE HONORATISSIMO
ASMO FRIDERICO ERHARDI
SCHMALSTEDA-HOLSATO,
S. S. THEOLOGIÆ CANDIDATO
AMICO SUO ÆSTUMATISSIMO
S. D. P.
CAROLUS JULIUS SCHUBERT
S. S. THEOLOGIÆ CULTOR, OPP.

Si amicorum eſt, ſibi invicem gratulari, quotiescunque novum felicitatis genus illis accidit, patiaris, Amice Honoratiſſime! ut & mei officii qualecumque exiſtat teſtimonium. Aſcendis Cathedram, argumentum publice defenſurus, quod non eſt levioris momenti. In Philoſophia non minus quam Theologia & recentiorum temporum hiſtoria non parum exercitatum eſſe oportet, qui has ſententias, hodie cumprimis impugnatas digne tueri vult. Et certe nec melior illarum inveniri poterat defenſor, nec Tibi aptior dari occaſio, Tuam eruditionem ac dicendi vim in doctiſſimorum hominum conſpectu demonſtrandi. Publica laus, quam mereberis, non mediocrem mihi voluptatem creat. Tua enim amicitia frui licuit, a quo Academiam hanc ingreſſus ſum. Et uti ingenium ac eruditionem Tuam ſemper miratus ſum, ità & probitatem, morum elegantiam, ac amorem, quo me complexus es, tanti facio, ut ipſe amici laude honorari credam.

Faxit

Faxit ſupremum Numen, ut, quemadmodum ſapientiam & virtutem amas, ita & ſapientiæ & virtutis præmia Tibi numquam deſint. Fruere illis feliciter, ſis ſalvus atque ſoſpes, ſis optimi Parentis gaudium, ſis totius familiæ ornamentum. Et cum a nobis diſceſſeris, mei quoque memineris, qui Te ſemper colam, & a Te ſemper amari cupio.

Dab. in Acad. Gryphica D. XXIX. Aug. MDCCLXVII.

Monſieur,

Vous m'avez donné tant de preuves de Votre amitié, que je mériterois le nom du plus ingrat du monde, quand je ne m'efforcerois pas, de Vous aſſurer, combien je Vous en ſuis obligé. Seroit-il donc poſſible, que je Vous réfuſaſſe à préſent un office, dont Vous avez la bonté, de me combler ſi liberalement? Quoique ma foibleſſe ne me ſoit pas inconnue, je ne puis pourtant m'empêcher, de ſatisfaire à mon devoir, que je dois à un ami ſi eſtimable. Il faut avouer, que, quand le remerciment doit avoir du rapport à la faveur reçue, je travaille en vain, pour la reconnoitre. Rien ne m'en peut jamais aquiter. J'aime mieux, confeſſer librement, que je Vous ſuis rédevable, & que je m'en ferai toujours gloire, de l'être. Permettez moi, je Vous en prie, que je Vous félicite du progrès, que Vous avez fait dans la ſainte litterature, dont cette diſſertation eſt une preuve eclatante. Continuez dans ce propos, dans lequel Dieu Vous ſoutiendra; mais continuez auſſi, s'il Vous plait, d'honorer à jamais de Votre amitie celui, qui ſe dit avec le plus grand attachement

Votre

ami très-affectionné

DAV. GOTTH. KELLNER,
Livonien.
Etudiant en Theologie.